Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis vigeſimâ-ſecundâ Januarii.

M. CLAUDIO PERRAULT, Doctore Medico, Præſide.

Minuitne oculorum aciem ſanguinis detractio?

NEMO quicquam plùs oculis ſuis diligit : nullam quoque partem majori curâ Natura fabricata eſt, munerum omnium quibus corpus fungitur nobiliſſimo quippe deſtinatam. Quùm enim rei cujuſque præſtantiſſimæ conſervatio difficilior eſſe ſoleat, quò pluribus opus habet ut ſit perfecta, ac propterea morborum longè major numerus reperiatur quibus unus oculus obnoxius eſt quàm quibus cætera membra; inter tot affectiones tamen non ità multæ ſunt à quibus artificis ſapientiſſimæ diligens providentia tutum non reddiderit id quod in oculo præcipuum eſt; Aciem illam intellige quâ lucis uſurâ fruimur, quæ non pars oculi, ſed vis ipſa earum partium cenſenda eſt, in quarum commodâ conſtitutione viſus acumen conſiſtit. Talis autem conſtitutio ſtupendam præ ſe fert artificis ſolertiam, non in concinnâ ſtructuræ mirabilis compoſitione tantùm, ſed in eo præſertim poſitam, quòd illa propriis ferè ſtet viribus, nec alienis, ut cæteræ, tot egeat adminiculis.

PARTIUM per quas animal obit vitæ ſuæ munia prout functionum natura diverſa eſt, ita uniuſcujuſque conſtitutio, & præſidiorum ratio quibus ad agendum utitur varia eſſe debet. Siquidem aliæ ad perpetuos motus edendos natæ, aut continuo ſuccorum delectui, præparationi, ac diſtributioni addictæ jugem poſtulant ſanguinis & ſpirituum appulſum; adeò ut niſi eorumdem copia identidem ſufficiatur concidant effœtæ, nec impoſita ſibi à Naturâ munera ſuſtinere valeant. Aliæ contrà ſic ſunt comparatæ, ut tot & tantis hujuſce generis auxiliis non indigeant. Sic membranarum ac tunicarum pleraſque, ſic oſſa, cartilagines, ligamenta propterea videas nervis, venis, & arteriis penè nullis inſtructas; quemadmodum & oculi humores, quorum tamen nonnulli inter partes animatas eodem jure quo adeps numerari debent. At plures & conſpicui ſunt in corde, pulmone, ventriculo, & muſculis canales per quos non modò materia præbeatur quam in cæterarum partium uſus, communi officio confectam ſubminiſtrent, ſed quâ ad ipſa præſtanda offiicia ipſæ copioſâ opus habent tanquam idoneis inſtrumentis, quæ cùm facilè atterantur & pereant, nova ſubinde ſuppleri neceſſe eſt ex inſtructiſſimo penu maſſæ totius ſanguineæ de promenda.

SENSUUM miniſteriis quæ partes inſerviunt duorum generum officia præſtant: aliæ ſenſationem ipſam edunt mirâ tenuitate & mobilitate particularum quibus conſtant, dùm delicatam præbent illam teneritudinem quâ rerum objectarum impulſu & ipſæ facilè moveri, & rei impellentis motum animanti notum reddere valeant. Aliis, quod magis adhuc mirere, datum eſt externas injurias vehementiores ſimul & arcere, & exiguas plerumque ac penè inſenſiles ſenſibilium motiones non impedire quominus ad ſenſorium integræ perveniant. In Oculo id muneris adimplent Tunicæ illius, & Humores quorum ſubſtantia lumini pervia nullis aliis patet ambientis incurſionibus; atque id propter particularum ex quibus illa componitur apprimè ſimilium ſtipatam eam denſitatem quæ illas tamen ab omni motu non prohibeat, ſed exiguâ tantùm impulſione agitari patiatur, & eâ ipſâ quâ rerum ſuperficies, & aër intermedius à lumine leviter percelluntur. Atque in eo tantùm ſitam intellige perſpicui cujuſvis naturam, non verò in cæcis meatibus quos tenuis quædam materia pervadat, rerum imagines deferens. Ac proinde ſcito partes illas ſpirituum copiâ nec indigere, nec eos facilè diſſipare. Si dubitas adverte etiam in interitu perſpicuitatem illam, quam præſertim à ſpirituum abundantiâ omnem habere vulgò creduntur, ferè eſſe ſuperſtitem; in languentibus imò & moribundis plerumque viſus aciem nihil imminutam, quandò in reliquo toto corpore ſpirituum penuriâ cæteræ functiones deficiunt: & tamen in ingenti lætitiâ oculis præ ſpirituum copiâ ſcintillantibus res cerni nihilò meliùs, nec acutiùs. Quid? quòd rara in videndo defatigatio ſi abſit intentio animi defixa, & diuturnior: quia nempe non aliter etiam quàm oculi humores, tunica illius reticularis, quæ immediatum eſt viſionis organum, ſpiritibus perfuſa tenuiſſimis eos parciùs effundit: quùm nempe partium illarum uſus non tam in actione, quàm in otio, & contemplatione videatur eſſe conſtitutus.

QUEMADMODUM oculorum aciem præſertim acuit ſpirituum tenuitas, humorum, & tunicarum perſpicuitas unà cum Cryſtallini humoris ſitu ac figurâ conveniente, quorum ope radii nitentes & ut decet, in apicem collecti perveniunt ad extimam tunicæ Reticularis ſuperficiem eximio ſuo ſenſu præditam: ita nihil eſt quod verè dici poſſit aciem oculorum minuere, niſi quòd naturalem illam conſtitutionem immutare valet, quales ſunt affectus omnes à quibus aut Cornea tunica obtegitur ungue, denſatur cicatrice, corrugatur exſiccatione; aut opacatur & concreſcit humor Aqueus in ſuffuſione; Cryſtallinus humor in Glaucoſi, areſcit, deprimitur, & tabeſcit ſenio; aut nervus Opticus ſpiritibus redditur impervius obſtructione. Nulla enim rerum objectarum perceptio contingere poteſt ſi radii aut primo aditu prohibentur, aut admiſſi aliò detorquentur, aut rectè tunicam Reticularem illuſtrantes, deſtitutam illam reperiunt illâ irradiatione quam à cerebro recipere debet ſpirituum adminiculo, qui tunicæ particulis interpoſiti mobilitatem celerrimam illis impertiunt ſine quâ tunica ipſa percelli, ac proinde ſenſationem edere nequit. Ad affectus autem illos quid facere poteſt ſanguinis imminutio? Spiritus fortaſſe pauciores; at eorum copiâ oculus non indiget: & nemo non intelligit ſanguinis abundantiam quæ ipſius corruptelam facillimè infert, omnium ferè eſſe poſſe commemoratorum affectuum autorem.

QUALEMCUMQUE ſanguinis qui vitæ theſaurus eſt, effuſionem ita horrere dicuntur & ipſæ animantes, ut earum nonnullæ ab aliquâ parte ſibi fluentem ſi viderint ſtatim moriantur. Terror ille non abſimiles tragœdias in hominibus qui ratione non utuntur movere ſolet. Ægrotantium pleriſque, ut avaris aurum, ſic ſanguis vitâ charior eſt, errore ſanè maximo; at Medicorum culpâ majore illi parcitur, dum famam quam affectant Hæmophoborum apud populum talium Medicorum amantem, hominum ſaluti, & conſciæ veritati anteponunt: quippe quùm nemini medico notum non ſit ſanguinem vitæ functionibus edendis, non magis quàm perdendis aptum, detractione tutiùs quàm aliâ quavis ratione, ſi corrumpitur, emendari: tùm ab illius quantitate ſuprà modum quàm infrà conſiſtente plus impendere periculi; & difficilius opus Naturæ imponi ſanguinis noxas caſtiganti, quàm ſi utcumque deficiat; quia tunc habet hoſtiliter repugnantem: tantùm abeſt ut ab ejuſcemodi copiis quicquam auxilii ſumere poſſit adverſus morbos præſertim internos, quorum vix ullum reperias citrà aliquod ſanguinis vitium. Qui hæc ignorant medicantes etſi meliori fide delirant quàm cæteri, nihilo tamen plectuntur minùs ægrotantes: ut omninò qui ſibi cavent, & aliquid pejus venæ ſectione oderunt & fugiunt, præſertim reformidaturi ſint Medicum illius nimis metuentem. Quis enim fortem cujuſvis morbi, quæ ferè ſemper in iſtius præſidii prudenti adminiſtratione ſita eſt, ei committet qui omni illius uſu, & experientiâ carens, quanta habeat ad ſalutem, aut ad perniciem momenta neque novit neque curat addiſcere? Qui Hydropem, Tabem, Cæcitatem, morbos nempe maximis aliis affectibus ſupervenientes, & ab iis natos, venæ ſectioni imputat, per quam iidem ipſi nonnunquam ſanantur. Qui denique non expertus eſt viſus aciem, non rarò, ſanguine minutis acui, eo turgentibus hebeſcere; quia plerumque de ſpirituum copiâ per ſanguinis detractionem aliquid demere, ſi forſan id præſtat, non tanti refert, quàm ipſorum vim & efficaciam augere illâ ipſâ detractione, cujus ope eorumdem materia ſubtilior reddita, tenuiores adhuc illos, & eo nomine ad videndum accommodatiores efficit.

Ergo non minuit oculorum aciem ſanguinis detractio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Quiquebeuf.
M. Ioannes-Michaël Garbe.
M. Bertinus-Simon Dieuxivoye.
M. Ioannes Boudin.
M. Guydo-Eraſmus Emmerez.
M. Michaël de Hodencq.
M. Carolus Patin.
M. Claudius Quartier.
M. Michaël de la Vigne.

Proponebat Lutetiæ PETRUS MARAIS, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1688.